PRÆFATIO.

Prouti artifex quivis certis indiget adminiculis, quorum tum exacta notitia, tum justus adplicandi modus maximam ejus dexteritatis paginam absolvunt; ita & Medicus, dum artem exercet, adparatus necessarii adcurata cognitione, prompteque exhibendi secura ratione quam maxime instructus sit oportet.

Hicce medicorum adparatus, antiquissimi jam Celsi ad mentem, triplici ex fonte hauritur; nimirum pharmaceutico, diætetico atque chirurgico. Unicum pharmaceuticum hic exponere mens est.

Nam in percrebro tironum tentamine observare licuit, raro illos in medicaminum prompto selectu versatos sufficienter esse. Quin & medicorum quorumdam publicam praxin exercentium, obsoletissima medicamina præscribentium, præstantissimaque alia negligentium, praxinque suam ad fatua sæpe pharmaca restringentium exempla, suspicionem fovent, adparatus pharmaceutici copiam & selectum ipsis in promptu sufficienter non esse. Neque multos in Dispensatoriis nostris, utpote unice adparatum pharmaceuticum continentibus (tempore autem mutato, artis in emolumentum castigatis) perdiscendis & agnoscendis faciles deprehendo; neque, ut verum fatear, adæquatis de viribus medicaminum ideis instructos.

Tironibus saltem medicis propterea libellum destinatum diu optavi, qui ipsis vires medicaminum veras, adparatumque pharmaceuticum hodiernum

sufficientius explanaret, atque nostri Dispensatorii verus commentarius esset. Non dixerim, aliorum virorum labore factum hoc non fuisse; attamen medicam materiem, austriaco provincialibus pharmacopœis adaptatam, desideratis — non adeo ævi nostri, quam Provinciarum nostrarum — adnumerare adhuc liceat; quibus nec recentissimus, etsi utilissimus ceterum, sed extraneis Dispensatoriis adhærens Arnemmannus & Grenius satisfecerunt.

Novi equidem & indigenorum virorum egregios labores, Stifftii præcipue & Michelitzii; utrumque tamen nondum finitum, & ante Pharmacopœæ Austriacæ recentissimam emendationem susceptum.

Quare tironibus medicis Austriacarum ditionum recens & completum de materie medica nostra opusculum sacratum volui, nec volumine amplum, nec pretio grave.

Fateor, intentionem prius fuisse Crantzii materiem medicam, a nostris Universitatibus diu acceptatam, suoque tempore multum valentem, ævo moderno adcommodare. Ast hæsit animus perlegendo illa plurima, quæ cum nuperrimis & veris de viribus medicaminum ideis minime quadrant.

Placuit ergo proprios tentare humeros. Neque leve, si rem perpendo, negotium suscepisse mihi videor, dum tantis sub effervescentiis in medica re, arduam materiem exponere audeo. Minime enim dubito, compositis quondam undis, facilioris negotii rem fore, unanimi medicorum sententiæ se adcommodare.

Multos quidem circa hæc objecta auctores perlegi; neque propria defuit plurium annorum severa animi ad hæc adtentio, & multiplex experientia, in foro præcipue illo, quod a novem abhinc annis Augustissima Aula mihi ad-

credidit. Et quis non optaret, medicam materiem a practico medico concinnatam? — Interim tenuiter de meis sentio, & altiores solum viros fors ad perficiendum opus hisce invito.

Quare ista, quanta ævum & fata medica permittunt, tironibus in usum academicum offero, melioribus a splendido lumine quondam desiderandis. Dummodo quidpiam emolumenti ex hocce labore in tirones medicos redundet, mihi ex integro satisfactum esse arbitror.

De Literatura hujus disciplinæ, quantum potui, insevi. Omnia non potui; & quis poterit? Utinam & hæc pauca tirones ad literaturæ artis suæ studium nimis neglectum incitarent.

Quodsi hæcce placuerint, diætetica quoque institutiones, pharmacologicis strictissime junctas, quondam simili modo elaborabo tironum in commo-

dum, & therapeuticas. Etenim moneo, ad forum therapeuticum plurima me transtulisse, quæ in aliis pharmacologiis, nescio quo jure, crebro occurrunt, therapiamque tum generalem tum specialem strictius spectant. Ratio in decursu patebit.